

# Nr. 42. (39). Sächsischer Landfriede König Heinrichs (VII). — (1223,

Mai? 1221, Sept. 1?)

MG. Const. II, Nr. 280, 281, §. 394—396.

## a. Landfriedensurkunde.

Hec<sup>1)</sup> est forma pacis antique, quam dominus imperator precepit renovari.

1. Clerici, monachi, mulieres, moniales, agricole, iusti venatores, piscatores, Iudei omni die et tempore firmam pacem habebunt in personis et in rebus.

2. Ecclesie, cimiteria, aratra, molendina et ville infra sepes suas eandem pacem habebunt.

3. Strate omnes cum in terra tum in aqua eandem pacem et ius habebunt, quod ab antiquo habuerunt.

4. Quicunque habet manifestum inimicum, in feria secunda, feria III, feria IIII, extra predictas res et loca, in persona sua et non in rebus ledere potest, ita quod eum non capiat. Feria V, feria VI, sabbato, [die dominico] omnis homo firmam pacem habebit preter eos, qui proscripti sunt [et] abiudicati falsarii, et illos qui sunt strikere et druhere; qui nullam pacem aliquo tempore habebunt vel in personis vel in rebus.

5. Quicunque<sup>2)</sup> vero contra pacem ordinatam aliquem occiderit, capite plectetur. Si aliquem vulneraverit, manum perdet. Si aliquem percutserit sine sangwinis effusione, LX solidos iudici componet et percuesso satisfaciet.

6. Si vero aliquis in diebus illis, quibus hostem suum ledere potest quispiam, hostem suum inseguitur et dextrarius contra voluntatem suam infra sepe ville eum pertulerit, et si timore persone statim in eadem villa iurare non audet, postmodum coram iudice, quod non voluntarie intraverit, iurabit.

7. Raptus<sup>3)</sup> sive oppressio virginis vel mulieris per capitis decollacionem punietur.

8. Viator<sup>4)</sup>, in via unum pedem tenens, equo suo segetes gladio, cultello vel falce potest incidere et equum suum fessum reficere, ita quod nichil inde deferat. Si autem segetes aliter inciderit vel aliquid inde detulerit, pacem violavit, fur suspendetur.

9. Qui<sup>5)</sup> alium clam occiderit, quod mord dicitur, in rota punietur.

10. Quicunque de eo, quod schah dicitur, ab aliquo impetratur, in persona sua se defendet vel sententiam iudicis sustinebit.

11. Nullus<sup>6)</sup> a possessione rerum quas possidet eicietur, nisi possessio ab eo evinatur.

12. Quicunque pacem in se ledi proclamabit, nisi in proclamatione ante iudicem permanserit, pacem violavit.

13. Si quis predam fecerit, predam cum iuramento reddet et iudici secundum iusticiam componet, vel iuramento se expurgabit, quod predam non fecerit.

14. Si<sup>7)</sup> quis pro alicuius querimonia vocatur a iudice, plures secum ante iudicem

ducere non debet quam XXX, qui nulla arma preter gladios habebunt; similiter faciet actor. Iudex autem quot volt cum armis debet habere.

15. Servientes, qui loricas et arma ducent, proscripti sunt et sicut proscripti iudicabuntur<sup>1)</sup>, [ni]si<sup>2)</sup> coram iudice, antequam deprehendantur, iurent, quod nullis armis deinceps utantur preterquam gladiis sicut alii servientes.

16. Incendiarius cum se septimo, qui ius suum habeant, coram comite, in cuius comecia bona incendit, quod incendium non fecerit, iurabit. Quod si non fecerit, comes denunciabit eum et sequaces suos in proscripcione domini imperatoris, et se a proscripcione non absolvet nisi per dominum imperatorem.

17. Nulla reysa fiet. Si autem reysa facta fuerit, is, qui dampnum passus est, veniet ad imperatorem vel ad iudicem illius regionis et afferet nomina eorum, qui reysam fecerunt, scripta vel viva voce ea denunciabit et illi citabuntur per XIIIII dies. Qui vero non venerint, denunciabuntur proscripti ab imperatore vel a iudice. Qui vero veniunt et reysam se fecisse fatentur, satisfaciant dampnum passo et iudici componant. Qui vero non fatentur, expurgabunt se manu septima ydoneorum virorum.

18. Si quis autem extra terminos illius pacis reysam fecerit, infra terminos huius pacis iudicabitur ut proscriptus secundum formam huius pacis, si deprehensus fuerit.

19. Si quis autem eorum aliquem, qui in reysa fuerint, deprehenderit flagrante maleficio et coram iudice duxerit, si probare poterit per ydoneos testes septem, quod in reysa fuerit, ut proscriptus iudicabitur.

20. Qui<sup>3)</sup> vero aliquem eorum, qui in reysa fuerint, occiderit vel volneraverit et in causam propter hoc tractus fuerit, si manu septima probare potuerit, illum in reysa fuisse, super hoc non teneatur respondere.

21. Cum<sup>4)</sup> pax violata fuerit et clamor sequencium ortus fuerit, tenentur omnes, ad quos clamor pervenerit, sequi cum armis, si opus fuerit per triduum propriis expensis, preter agricolas et cultores vinearum. Quod qui non fecerit, componet penam iudicii.

22. Qui autem hanc pacem infra sex septimanas non iuraverit, in eo non potest pax violari et, ut constet eum iurasse, per duos testes hoc ostendet, si oportuerit.

23. Qui vero pacem iuraverit, bona eius ubicumque sita sunt sub pace debent comprehendendi.

24. Pax ista iurabitur usque ad Pascha et a Pascha usque ad duos annos.  
Hec acta sunt apud Frankfurt.

### b. Verordnung wegen der Eidesleistung.

H. Dei gratia Romanorum rex semper augustus H. duci Saxonie et A. duci Angarie et in eorum iurisdictione constitutus.

Innotuit nobis, quod summus pontifex, similiter quoque dominus imperator pater noster dederit in mandatis et attentius iniunxerit C. Hildesheimensi venerabili episcopo, apud eos in partibus Italie existenti, ut ad pacem et tranquillitatem illarum partium curam et operam in reditu suo impenderet diligentem, de eiusdem episcopi prudentia et bonitate non immerito presumentes. Quocirca mandamus affectuose vos rogantes et monentes, quatenus ob reverentiam apostolice sedis et domini imperatoris patris nostri et pro patrie totius profectu et honore accedatis ad locum et diem, quem prememoratus episcopus prefixerit vobis, pacem unanimiter iuraturi et ipsam inviolabiliter observaturi usque ad terminum inter vos conductum.